Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2187
Quelle:
Copyright:

taniae OO. SS. Officium pro Defunctis, et a *fol.* 118. quaedam lingua *Germanica*, videlicet Oratio Ducis prolixa ad Deum et Coelites, Methodusque de peccatis confitendi. Quae sequuntur ante et post S. Coenam dicenda rursus *latina* sunt, hisque omnibus praefixae Picturae Ducem ipsum cum Aula sua exhibent, quas longum foret minutius persequi. Succedunt deinceps *Preces* variae ad diversos Coelites, quibus cum inconsulta aevi credulitas singularem quandam efficaciam tribueret, eaque praeviis rubricis depraedicaretur, manus quaedam censuram in eas rubricas exercuit, partim voces quasdam eradendo, partim alias literas dextre interpingendo, ut adeo, *Codice* tamen non deturpato, aegre admodum legi, aut intelligi queant, minimo certe damno. Imago ultima ad sic dictum *Veronicae Sudarium* celebrem ingressum in urbem quandam imperialem ostentat. Vir princeps extra urbem cum Conjuge *Sudarium* illud praeferente genuflexus oppositum habet pariter in genua prociduum alium Principem se majorem, in quo *Fridericum* III. Imp. videre mihi videor. Universe dici vix potest, quantum in ornando hoc Libro velificatus sit Phantasiae suae *Albertus* pictor, quem in *Lutherum* propendisse, non uno loco conjicias. Viris ecclesiasticis singulariter adfectus tam bene curata cute passim illos proponit, ut vel Diva Υγιεια invideat.

DCCCCXVIII.

Codex membraneus lat. germ. C. 958
Sec. XVI. Folior. 265. in 12. bene scriptus, adlatusque e Parthenone *Halensi Tyroleos* Collectio est *Litaniarum* privato ingenio concinnatarum de nomine *Jesu*, de Eucharistia, de Sanguine *Christi*, de B. V. *Maria* pro singulis Hebdomadae diebus, de Angelis, S. *Michaele*, *Antonio Patavino*, OO. SS. item pro Fidelibus defunctis, demum de S. Spiritu, quae omnes, ultimis exceptis, latine primum, tum germanice leguntur. E sacris Literis, Patribus et Conciliis excerptas esse, passim monetur in titulis. Literas L. E. Z. O. posteriori parti Thecae inscriptas interpretor: *Leopold. Erzherzog. zu Oesterreich.*

DCCCCXIX.

Codex membraneus lat. gall. R. 1066
Sec. XV. Folior. 214. 4. perquam nitide exaratus, praeter margines omnes eleganter deauratos et picturatos, multasque minores SS. Icunculas, L. Picturis grandibus varia Sacra repraesentantibus artificiose cultus, Precatorius est, et sequentia continet: *Calendarium* minus populosum, in quo minio scripti 23. Apr. *Gerardus* ep. 9. Maji *Translacio sancti nicholai*, 11. *Gengulphus* mart. 25. *Urbanus* papa et mart. 3. Sept. *Mansuetus* ep. 15. *Aper.* ep. *Tullensis*. Cum praeter hunc vulgo *Saint Evre* (Eber germ.)

 dictum